



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

HAec quoq; ad praecedentia attinent. Argumētum est, Resurrexistis & mortui estis cū Christo huic mundo, & huius mundi elementis: nolite ergo iustitiam ponere & fiduciam in rebus quibuscūq; externis & terrenis, quae uideri possunt. Coelestia curate, id est spiritualia, quae nō uidemur. Regnū Christi non est de hoc mundo: quicquid ergo pomparum, & iustitiae externae nobis ostenditur, fucus est & hypocrisis. Quandoquidem sicut Christus est absconditus, & nemo nouit filiū nisi pater, & cui uoluerit pater reuelare, sicut dicitur Matth. 16. Caro et sanguis non reuelauit tibi &c. & nemo nouit patrem, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare, ut dicitur Matth. 11. Sic & Christiani ueri absconditi sunt, & nouit deus qui sunt eius, 2. ad Timo. 2. Filij quidem dei sunt, sed primum tales esse apparebit in futura resurrectione. I. Ioan. 3. & ad Rom. 8. Igitur iterum merum mendacium est, & orbis seductio, quicquid externarum rerum pro iustitia, siue regno dei computatur. Sequitur quoq; illos nihil minus esse quā christianos, qui se pro Christianis haecenus uēditarunt. Immo ne hoc quidē est tanti, uolucrunt & plus esse quā christiani, id est ceteris perfectiores, quum in spiritu, ubi est illa christiana iustitia, non sit differentia operum minoris & maioris. Omnia enim apud deum aequalia

Hoc exemplum de Abel & Cain.

ANNOT. IOANNIS POMERANI

apud nos sunt opera, quae inter se cōparata, sunt magna & parua: sicut infra dicit, Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine domini Iesu facite, gratias agentes deo & patri per illum. & 1. Corint. 10. Siue manducatis siue bibitis, uel aliud qd facitis, omnia in gloriam dei facite. Itē in spiritu siue in Christo non est differentia personarū. Nō enim illic est, ut infra dicitur, Graecus et Iudaeus &c. Vnde ergo ista Christianis nomina, Franciscanus, Augustinianus? &c. Vnde diuersus ille habitus, albus, niger? &c. quē sub pœna aeternae maledictionis nō licet immutare. Hoccine est iustitiam istis nugis imputare? Vnde tandem laicus & clericus? Ministeria & diuersa dona spiritus sancti sunt inter uerē Christianos, ut est 1. ad Cor. 12. Sectae uero tā uariae figmentū sunt demonij meridiani, & angeli satanae in angelum lucis transformati, ut mundus seducatur signis & portentis mendacibus: quae satis multa impij praedicatorum exphiala irae dei in mundum effuderunt, ut credant mendacio, qui dilectionē ueritatis, ut salui fierent, suscipere noluerunt. Iā tandem uidemus quid Pauli uerba possint, quā spiritum plena sint. Non potest hinc amplius latere diabolus pra luce istorum uerborum. Dabit quādoq; spiritus Christi, ut haec ipsa adhuc clarius uideamus.

Mortificate igitur membra.

Iam post tractatam fidem, paranæsis morum Christianorum

IN EPI. PAULI AD COLOS. 45

stianorū, ut solet, describit contra illos, qui ubi audiunt libertatem spiritus, intelligūt libertatem carnis, putantq; sibi quiduis licere. Mortificate, inquit. &c. Supra dixit, resurrexistis, mortui estis: quæ oportet sic intelligi, resurgere cœpistis, mori cœpistis. sicut iā antea diximus de perfectione, & de circumcisione, & baptismo: alioqui hic rursus non diceret, mortificate. Hic præterea uides quid scriptura uocet mortificationem, nempe uoluntatis nostræ, & nostram ipsorū abnegationem: non ut uigilijs, cruciatibus, inedia perimas ista mēbra, quæ uides in corpore tuo: sed membra corporis peccati, stuprum, immunditiā, &c. quæ ab actu externo temperari ad tempus exercitio corporis, uigilia, ieiunio, labore possunt: sicut poëta dixit, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Sed occidi non possunt, nisi spiritu, sicut dicitur ad Gala. 5. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

Mortificatione.

Renouatur, &c.

Vide hic restitutionem imaginis dei in Adam perditæ. Iam restituitur lux dei per Euangelium, ut uiuamus sicut filij dei, imitatione dei patris beati, qui hactenus cæcitate imaginem expressimus principis tenebrarum.

Charitatem.

De qua ad Ephes. 4. & Philip. 2. Quæ, inquit, est

f 5

ANNOT. IOANNIS POMERANI

uinculū perfectionis, siue integritatis: id est, quæ nex-
uus est, qua perfectio & integritas corporis Christi,
id est ecclesiæ, colligatur, ut membra in corpore ani-
mantis. Nullo enim alio uinculo coherent membra
Christi. Potest uideri Paulus, ut paulò ante ad carnes
animantis cum dixit: Viscera miserationum, quæ sunt
eomitas &c. Ita nūc ad pellem alluisse, cum dicit: *Su-*
pra omnia induti charitatē. Sicut enim pellis omnia
continet, & quasi colligat quæ sunt in corpore: ita
charitas omnia prædicta simul continet, & membra
Christi in unitate claudit.

Et pax dei triumphet.

Pax inquit dei, unde addit, In cordibus. Hanc pacē
mundus non nouit. Ioan. 14. Pacem meam &c. Hanc
deus in suis adeò potentē efficit, ut nulla iniuria pro-
ximorum, nulla aduersitate, nulla tentatione possit la-
befactari, ut ad Rhom. 5. Gloriamur in tribulationi-
bus. Fit quidē ut quandoq; derelicti à deo uideamur,
& huius pacis ne uestigium quidē uideatur: sed quia
radices profundius egit, ista tempestate deiici non po-
test: imò fortius contra ista mala insurgit, ubi amissa
uictoria uidebatur. Cuius exemplū habes in Paulo
2. ad Corint. 1. Ad hanc pacē dicit hic Paulus nos uo-
catos. Vbi uero ista pax non fuerit, charitas in corpo-
re ecclesiæ seruari nō poterit, idcirco ne ecclesia quis-
dem erit.

charitas

die hüt helt
den sthalth
Zins...